

## Varroniana.

---

### II.

Ad Varronis libros de scaenicis originibus, Scaurum logistoricum, et de L. Accio grammatico.

Servius in georg. I 19 fabula de Triptolemo enarrata Cereri sacra ab illo instituta esse addit Graece dicta θεσμοφóρια eiusque rei auctorem affert *Varronem de scaenicis originibus vel in Scauro*. Quae Servii verba magnam inter viros doctos excitarunt litem; Ritschelio enim qui libros de scaenicis originibus et Scaurum ad unum idemque Varronis opus, logistoricum scilicet duplici titulo inscriptum, pertinere coniecerat (op. III 406, 411, 456), adversati sunt Riesius (in editione saturarum, prolegg. p. 37 adn. 7) et Cichorius (Ueber Varros libri de scaenicis originibus, in comm. Ribbeck. p. 418 sq.), qui cum hoc recte statuerent diversa Varronis opera inscriptionibus illis significari, in ceteris erraverunt. Parvi momenti est, quod Riesius Servii verba ita corrigenda esse censebat: de scaenicis originibus II et in Scauro; eam enim coniecturam Cichorio probatam falsam esse iudicabit qui 'vel' particulam apud posterioris aevi scriptores et apud ipsum Servium saepe copulativae vim obtinere meminerit. At gravius est, quod Cichorius Scauri logistorici argumentum plane abhorreere a scaenicis originibus contendit mira usus demonstrandi ratione. Singula enim quae servata sunt Scauri fragmenta, quae sunt numero quattuor, ita percenset, ut nulli cum rebus scaenicis quicquam intercedere contendat. Interim missa faciamus tria posteriora: sed primum fragmentum ipsum illud est, quod supra ex Servio transcriptum et ego exhibui et Cichorius p. 423 sq. reliquiis librorum de scaenicis originibus inseruit. Quid igitur? illa de re cum Varro et in his libris et in Scauro egerit, nonne etiam in Scauro de rebus scaenicis disputatum fuisse apertissimum est? Salva

igitur erit optima illorum sententia, qui Scaurum illum, cui Varro logistoricum miserat, intellexerunt M. Aemilium Scaurum aedilem nobilissimum, qui a. a. Chr. 58 lautissime ludos fecerat<sup>1</sup>: sicuti Varro *Atticus* inscripsit logistorico de numeris, *Curio* de deorum cultu, *Orestes* de insania, *Sisenna* de historia, ita *Scaurus* inscripsit logistorico, cuius alterum titulum sane nescimus, quamquam in scaenicis rebus tractandis eum versatum esse constat. Iam vero videamus, num in ceteris fragmentis inveniuntur pristini argumenti vestigia: quod de uno saltem certo mihi videor posse demonstrare.

## I (2 Riesii)

Charisius GL I 77 *Varro in Scauro baltea dixit et Tuscum vocabulum ait esse.*

## II (3 R.)

id. 88. 131 *Varro in Scauro: glutinum ferunt Daedalum invenisse.*

## III (4 R.)

id. 106 *Varro in Scauro palumbi dicit.*

Sed priusquam quid mihi videatur rei esse exponam, a Varro discendum est ad alium virum eruditissimum, cui Varronem multo plura quam vulgo statuere videntur debere mihi certum est, dico L. Accium, qui ut Livius Andronicus et Ennius duobus unus officii fungebatur et poetae et grammatici. Ac de poeta quidem nunc non ago, sed de opere illo iure celeberrimo, quo homo grammaticus utriusque gentis universam litterarum historiam et temporum et generum habita ratione omnium Romanorum primus enarrare aggressus est, paulo accuratius mihi tractandum est. Egerat ille didascaliorum libro I de poesi epica, libro II de poesi scaenica (fr. 12 Baehr. est de  $\tau\rho\iota\chi\omicron\mu\theta\iota\alpha$ , quam sane  $\varphi\omicron\rho\rho\rho\tau\iota\kappa\acute{\omega}\varsigma$  saepe observari a poetis graecis, maxime ab Euripide [cf. e. g. Or. 1592 Suppl. 143] notum est, fr. 13 Euripides vituperatur, qui choros temerius in fabulis posuerit, sicuti Lucilius quoque eius artem perstrinxerat, cf. Gell. IV 3, 28), libro VIII de

<sup>1</sup> Eo magis miror perversum Cichorii de Scauri argumento iudicium, quia idem rectissime ad Varronem rettulit quosdam Plinii locos: is enim de rebus ad scaenam pertinentibus talia saepe profert quae uni omnia Varroni deberi videantur. Iam vero inter duodecim locos Plinianos cum quattuor extent, quibus Scauri fiat mentio (n. h. 34, 36; 36, 5; 36, 50; 36, 114), quid veri similis quam eiusdem Scauri nomine logistoricum esse inscriptum?

apparatu scaenico, libro IX iterum de variis poematorum generibus; libris qui erant inter tertium et septimum disputasse videtur de poesi Romana, qua ex disputatione supersunt tria fragmenta didascalica, quorum in uno (19 B.) inest insignis ille Accii error in definiendo tempore primae fabulae a Livio Andronico doctae, in altero (21) testimonium de fabulis ab ipso et Pacuvio uno tempore doctis, in tertio (20) comoediarum quas Pauti non esse censebat index. Praeterea Accius in Pragmaticis de simili argumento egerat; quorum fragmenta supersunt haec:

## EX LIB. I.

- 24 B. 10-010-0 cuncta fieri cetera  
inbecilla ob ponderitatem gravitatemque nominis

## EX LIB. INC.

- 25 10-01 describe in theatro perperos  
popularis
- 26 et co plectuntur poetae, quam suo vitio, saepius  
aut ductabilitate nimia vestra aut perperitudine
- 27 Gell. XX 3: sicinnum . . genus veteris saltationis fuit.  
saltabundi autem canebant, quae nunc stantes canunt. posuit hoc  
verbum L. Accius in pragmaticis appellarique sicinnistas aut  
nebuloso nomine, credo propterea 'nebuloso', quod 'sicinnium'  
cur diceretur obscurum esset.

Huius operis inscriptione quid significetur, quaeritur. Πραγματικόν vocabulum non multo ante Accii aetatem inventum est, neque enim ante Polybium — apud eum autem saepissime — legitur; atque πραγματικόν esse id quod ad res pertinet nomen ipsum significat, unde pro variis rerum argumentis varia eius vis: ad litteras autem ubi refertur (quod in Accii opere fieri fragmenta ipsa produnt), usu inde a Stoicis sollemni opponitur τῷ λεκτικῷ, velut apud Dionysium de comp. verb. c. 1 διττῆς γὰρ οὔσης ἀκκήσεως περὶ πάντας, ὡς εἰπεῖν, τοὺς λόγους, τῆς περὶ τὰ νοήματα καὶ τῆς περὶ τὰ ὀνόματα, ὧν ἡ μὲν τοῦ πραγματικοῦ τόπου μᾶλλον ἐφάπτεσθαι δόξειεν ἂν ἢ δὲ τοῦ λεκτικοῦ, ἡ μὲν ἐπὶ τὰ πράγματα ἄγουσα ἡμᾶς ἐπικτήμη βραδείᾳ ἐστὶ κτλ. Itaque Dionysius in iudiciis quae fert de antiquis oratoribus seorsum disputare solet de ea virtute quae in rebus cernitur atque de ea quae in genere dicendi, veluti de Lys. c. 15 νοῦν δὲ . . διαλέξομαι, τίς ὁ πραγματικός ἐστὶ Λυκίου χαρακτήρ, ἐπειδὴ τὸν ὑπὲρ τῆς λέξεως ἀποδεδῶκα· τοῦτ' ἄρα ἔτι λείπεται τὸ μέρος. εὐρετικός γάρ ἐστὶ τῶν ἐν τοῖς πράγμασιν ἐνότων λόγων ὁ ἀνήρ, οὐ μόνον ὧν ἅπαντες εὐροίεν, ἀλλὰ καὶ ὧν μηθείς. οὐδὲν γὰρ

ἀπλῶς Λυσίας παραλείπει τῶν στοιχείων, ἐξ ὧν ὁμολογεῖ, οὐ τὰ πρόσωπα, οὐ τὰ πράγματα, οὐκ αὐτὰς τὰς πράξεις, οὐ τρόπους καὶ αἰτίαι αὐτῶν, οὐ καιροὺς, οὐ χρόνους, οὐ τόπους, οὐ τὰς ἐκάστου τούτων διαφοράς, cf. de Isoer. c. 4 et 12, de Isaeo c. 3 et 14, epit. l. II de imitat. c. 3 p. 25, 8 sqq. Us. et saepius: omnino τοῦ πραγματικοῦ χαρακτήρος sunt et argumenta et argumentorum dispositiones, cf. ep. ad. Pomp. 4 Ξενοφῶν Ἡροδότου ζηλωτῆς ἐγένετο κατ' ἀμφοτέρους τοὺς χαρακτήρας, τὸν τε πραγματικὸν καὶ τὸν λεκτικόν. πρῶτον μὲν γὰρ τὰς ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν ἐξελέξατο καλὰς καὶ μεγαλοπρεπεῖς . . . . ., οὐ μόνον δὲ τῶν ὑποθέσεων χάριν ἄξιός ἐπαινεῖσθαι, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκονομίας. ταῖς τε γὰρ ἀρχαῖαι αὐτῶν ταῖς πεπωδестάταις κέχρηται καὶ τελευτὰς ἐκάστη τὰς ἐπιτηδειοτάτας ἀποδέδωκε, μεμέρικέ τε καλῶς καὶ τέταχε καὶ πεποιίκικε τὴν γραφήν. ἦθος τ' ἐπιδείκνυται θεοσεβὲς καὶ δίκαιον . . . . . καὶ ὁ μὲν πραγματικὸς τύπος αὐτῷ τοιοῦτος. ὁ δὲ λεκτικὸς κτλ. Coniuncta habes argumenta eorumque dispositionem et ἦθη: eiusdem partitionis vestigia apud scriptores Latinos obvia nunc non colligo, unum nomino Varronem, qui in Parmenone satura, in qua de arte poetica et Graecorum et Romanorum deque eius generibus ampla instituta erat disputatio, haec scribit (fr. 399 B.): *in quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesis Terentius, in sermonibus Plautus*, ubi vides respondere argumenta et ἦθη generi πραγματικῷ, sermones λεκτικῷ. Iam ut ad Accii opus revertar, cum hac tituli interpretatione bene consociari possunt quae extant fragmenta: quod cum de fr. 25 et 26 ne dubium quidem esse possit, minus cadere videtur in id quod ultimo loco posui: quid enim saltationi cum argumentis? Attamen bene evenit, ut scrupulus hic facili opera removeri possit allato testimonio Aristotelis: namque etsi ipsum vocabulum πραγματικὸς non ante Polybium inveniri supra dixi, tamen duorum illorum generum divisio, ut multa postea demum amplificata, ad Peripateticos redit<sup>1</sup>: Aristoteles enim in ea artis poeticae parte, quae aetatem non tulit, ubi de comoedia egit, duobus modis risum gigni exposuerat: ἀπὸ τῆς λέξεως et ἀπὸ τῶν πραγμάτων, posteriorisque generis speciem dixerat ἐκ τοῦ χρῆσθαι φορτικῇ ὀρχήσει (cf. Arist. de arte poet. ed. Vahlen<sup>2</sup> p. 78). Restat fr. 24

<sup>1</sup> Cf. e. g. Aristot. art. rhet. III 7. 1408a 10 τὸ δὲ πρέπον ἔξει ἢ λέξις, ἔάν ἢ παθητικὴ τε καὶ ἠθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογος κτλ.

ex primo libro sumptum, quo disputari de vicissitudine quae rem inter et verbum (ὄνομα) intercedit non negabis, si quae supra de duobus illis generibus exposui tecum reputabis: sententiam etiam accuratius definire difficile est, quamquam me si audis Accius illa ex rhetorum disciplina hausta rettulit: res (πράγματα) enim ut cum verbis (ὀνόμασι) concinant, ne intempestiva (ἄκαιρος) fiat oratio, inter summa est rhetorum praecepta (cf. e. g. Dionys. de Lys. c. 3, c. 4 in fin., c. 9 cet.), quae si quis neglexisset, a severis iudicibus vehementer vituperabatur; nam sicut Accius dicit nomine ponderoso gravique cetera fieri imbecilla, ita scriptor libelli de sublimitate allatis tragici cuiusdam verbis tumidis addit (c. 3): τεθόλωται (ταῦτα) τῇ φράσει καὶ τεθορύβηται ταῖς φαντασίαις μᾶλλον ἢ δεδείνεται, κἄν ἕκαστον αὐτῶν πρὸς αὐτὰς ἀνασκοπῆς, ἐκ τοῦ φοβεροῦ κατ' ὀλίγον ὑπονοστεῖ πρὸς τὸ εὐκαταφρόνητον, ibidem similiter: κακοὶ δὲ ὄγκοι καὶ ἐπὶ σωματίων καὶ λόγων οἱ χαῦνοι καὶ ἀναλήθεις καὶ μήποτε περιεστάντες ἡμᾶς εἰς τοῦναντίον cf. c. 5 (p. 9, 11 Vahl.) et Demetr. de eloc. 83.<sup>1</sup> Ceterum num sententiam illam probavit Accius, vehementer dubito; is enim tumorem tragicum adeo non vitaverat grandibus verbis nove aut fictis aut usurpatis, ut gravissime eam ob rem carperetur a Lucilio (cf. Hor. sat. I 10, 53 cum adn. Porphyrii et libri XXVI fr. 462 sqq. Baehr., maxime 468 472 475 480 481; similiter Ennii versus quosdam riserat gravitate minores, cf. Hor. sat. I 10, 54. Serv. in aen. XI 601): itaque, id quod etiam ipsa enuntiati forma indicari videtur,

<sup>1</sup> Rhetorum praecepta Accio non ignota fuisse nemo mirabitur; ea enim Romae tum volgatissima fuisse non solum exempla eorum qui illis temporibus vel annales vel orationes scripserunt demonstrant sed etiam Lucilii verba haec (155 sqq. B.): *ut perisise velis quem visere nolueris, cum | debueris. hoc nolueris et debueris te | si minus delectat, quod τεχνίον Isocratium est, | ληρωδέσque simul totum ac συμμεπρακιῶδες*, ubi etiam postremum vocabulum ex arte rhetorica petitum est, cf. maxime script. de subl. c. 3, qui quid sit τὸ μεπρακιῶδες optime docet; hominem tāli vitio obnoxium latine dixerunt adolescentiari: hac enim vi verbum usurpari a Varrone sat. fr. 550 B. *tu quidem ut taceas censeo, quoniam tu quoque adhuc adolescentiariis* mihi quidem constat, postquam saturae inscriptiones τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, περὶ εὐκαιρίας etiam ad disciplinam rhetoricam spectare demonstravi ann. Fleckeis. suppl. XVIII 308, 1: nimirum is qui alienissimo loco speciosum aliquod vocabulum ponit tamquam lentium pulstem condiens murra, dicitur ἀκαιρως νεανιεύεσθαι; saepius enim Varro in saturis perversum quod illo tempore florebat dicendi genus vituperat, cf. maxime fr. 370 sqq.

ab illius calumniis se purgat, quod quo aptiore loco facere potuerit nescio.

Utriusque operis argumentis breviter adumbratis priusquam ad cetera pergam, de duobus fragmentis mihi disputandum est, quorum alterum nunc inter ea quæ incertae sunt sedis, alterum ne inter Accii quidem fertur. Illud apud Varronem exstat de l. l. VII 64 (= fr. 29 B.): *miraculae a miris, id est monstris, a quo Accius ait personas distortis oribus deformis miriones*. Quae de re quamquam potuisse quidem Accium agere etiam in pragmaticis non utique negandum est, tamen si quid tribuendum est probabilitati, id fragmentum didascalice inseremus, quia, ut supra dixi, in horum l. VIII de apparatu scaenico qui ad actores pertinet disputaverat (fr. 14 *actoribus mamuleos baltea machaeras*). Verum id sive cui recte videor statuuisse sive non persuasi: certissime altero utro opere de personis Accium egisse cogitans haec Varronis verba legas de l. l. VII 96: *obscenum dictum ab scaena; eam ut Graeci Accius scribit scena. in pluribus verbis a ante e alii ponunt, alii non, ut quod partim dicunt scaeptrum partim sceptrum, alii Plauti Faeneratricem, alii Feneratricem; sic faenisicia ac fenisicia, ac rustici pappum Mesium, non Maesium, a quo Lucilius scribit Cecilius pretor ne rusticus fiat*. Incipiamus a fragmento Lucilii: quo Accii sententiam de æ diphthongo per e exhibenda irrideri apparet: quod cum recte intellexeret, Schmidtius in editione libri noni (Berol. 1840) hunc versum inter illius libri fragmenta posuit, eumque secutus est Baehrensius (fr. 259). Quod quo iure fecerint ambigi sane potest: eodem enim modo etiam versus, quibus *pertisum* an *pertaesum* dicendum sit disceptatur addita Scipionis auctoritate<sup>1</sup>, quos nunc

<sup>1</sup> Festus 273 *redarguisse per e litteram Scipio Africanus Pauli filius dicitur enuntiasset, ut idem etiam pertisum. cuius meminit Lucilius: quò facitior videre et scire plus quam ceteri, | pertisum hominem, non pertaesum dicere †ferum nam genus* (versus nondum probabiliter emendatus: *dicere aerumnast opus L.*, at exspecto Scipionis mentionem fieri, unde retinendum puto *genus*; in v. *dicere* latere puto *dic* imperativum, cetera non expedio). Ad Scipionis igitur auctoritatem Lucilius provocarat, neque dubito, quin etiam *redarguisse* recipiendum sit inter fragmenta Luciliana, sicut etiam Muellerum coniecisse video ad fr. inc. CXXXIII. Quae cum consideras, nonne haec Quintiliani verba I 7, 25 *quid dicam 'vortices' et 'vorsus' ceteraque in eundem modum, quae primus Scipio Africanus in e litteram secundam vertisse dicitur* ex Lucilio fluxisse (quod etiam Buechelerum docere memini) eo magis fatebere probabile

inter incertae sedis fragmenta redigunt (841 sq. L. 894 sq. B.), inserendi essent libro IX, cum is qui de ae et e litteris ageret non poterat non eodem loco etiam quaestionem illam impeditissimam disceptare, quid fieret verborum primitivorum ae diphthongo, ubi verba illa additis praepositionibus fierent derivativa (sicuti in l. IX Lucilius iudicium tulit de consantium in verbis compositis assimilatione: fr. 330<sup>e</sup> et 330<sup>d</sup> L.), velut *perbaetere* scribendum esset an *perbitere*, *conquaerere* an *conquirere*. Itaque hanc rem in medio relinquamus: id vero iure nostro videmur posse contendere, illudi a Lucilio Accium. Iam vero Lucilius rusticam esse pronuntiationem illam (cf. Sittelius, Die lok. Versch. d. lat. Spr. p. 5 sq.) norat, cum diceret *Cecilius pretor ne rusticus fiat*; unde illius rei notitia venit ad Lucilium? sine dubio de ea disputari invenerat apud grammaticum quendam, eundem scilicet, apud quem Varro de rustica Maesii pronuntiatione legerat. Grammaticum autem illum ne cogitari quidem potest alium fuisse atque Accium. Ergo is ascita rusticorum auctoritate Mesium scribi iusserat<sup>1</sup>. At non mirum Romanos referri ab Accio ad rusticos? quod nemo prudens, opinor, mirabitur: ab Oscis enim, haud bonae famae gente, Accius vocalium longarum geminationem receperat, atque omnino illis primum temporibus increbruisse apud Romanos Italicarum dialectorum notitiam, quam docti et grammatici et glossographi non aspernati sunt recipere,

esse, quia Quintilianus (vel potius Palaemo) in hac orthographicæ artis adumbratione identidem ad Accium et Lucilium recurrit (I 7, 14 sq. 19)? Nimirum Scipionem, hominem eruditissimum, qui litteras Latinas cum Graecis temperabat, quasi gravissimum harum rerum et auctorem et iudicem non solum Lucilius citavit sed etiam alius eiusdem aetatis homo doctissimus Valerius Soranus, qui librum quendam ad litterarum, ut videtur, historiam pertinentem ei misit; falsissime enim Scipionis nomen vulgo coniecturis oblitteratur in his Varronis verbis de l. l. VII 31 *apud Valerium Soranum: vetus adagio est, o P. Scipio*, quae ex ipsa προσηνῆσαι versibus senariis concepta videntur sumpta esse. A Scipionis eiusque asseclarum partibus Valerium stetisse etiam versu illo probari videtur, quem ex eo affert Varro l. l. X 70 *Accius Hectorem nollet facere, Hectora mallet*: haec enim non probantis sed impugnantis sunt. Scipio ut intellegatur Paulli filius, temporum ratione permitti videtur, modo Valerium provecta aetate mortuum esse sumamus ut Accium.

<sup>1</sup> Fortasse Varro etiam Plauti Feneratricem ex Accio petivit, quem constat in didascalie indicem fecisse fabularum Plauti. Feneratricem fabulam obelo non damnavit.

bene monuit Iordanus, Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Spr. p. 125 sqq. (nam singularis est Praenestinatorum illusio apud Plautum, cf. Ritschelius Parerg. I 196 et opusc. II 372); neque id casu factum: circa idem enim tempus Italici civitatem Romanam summo cum studio petentes se cum Romanis coalescere et posse et velle neque nimis diversae esse propaginis urbi et armis et litteris ostenderunt, sicut optime me docet Kiesslingius. Iam vero etiam intellegitur, quo iure Accius, cum recte scribendi canones suos constitueret, Graecam consuetudinem<sup>1</sup> cum Italica coniunxerit: inferioris enim Italiae gentes bilingues fuisse notum est neque multum interest, utrum Accius dicatur scenam petiisse a Graecis an Mesium ex lingua rustica<sup>2</sup>: utrumque enim ex eadem regione Romam invec-tum est. Neque iam priore aetate Ennium puduit dicere se tria corda habere, quod loqui et Graece et Osce et Latine sciret (Gell. XVII 17). Accium igitur disputasse de Maesii persona certum puto esse; quoniam id fecerit libro, dubium esse vix potest, cum didascaliorum l. VIII de actoribus, libro incerto de ipsis personis eum egisse compertum habeamus; eodem igitur opere etiam de Maesione disputasse censendus est, quamquam Lucilium, cum ae diphthongi pronuntiationem rusticorum auctoritate ab Accio confirmatam impugnaret, hunc ipsum locum respexisse non pro certo ausim contendere: immo fieri potest ut grammaticum aliquod Accii scriptum extiterit, quo suas de partibus quibusdam artis grammaticae rationes exposuerit; non satis enim credibile est his de rebus eum egisse in didascalicis<sup>3</sup>. Grammaticam autem rationem consentaneum est eum stabilivisse exemplis quibusdam repetitis ex alio opere.

<sup>1</sup> Ab hac etiam alia Accii praecepta pendere notum est. *semi-graecum* eum fortasse dixit Lucilius 330<sup>b</sup> L., cf. Marxius, stud. Lucil. p. 5.

<sup>2</sup> Ceterum cf. etiam Varr. de l. l. V 97 *ircus quod Sabini fircus; quod illic fedus, in Latio rure edus; qui in urbe, ut in multis a addito aedus*. Sic *Mesium* vocabant in agro Campano, unde una cum ludis Oscis Romam invectus innotuit.

<sup>3</sup> Quamquam in his rebus quis certi quicquam promittet? Insunt enim in didascaliorum fragmentis, quae non artis finibus nomen illud ab Accio circumscriptum fuisse demonstrant: etsi l. I, quo de epica poesi disputabat, prooemii loco esse potuit. Atqui poterat de scena et de Mesio agere, ubi Romanae fabulae initia a Tarentinis vel ab Oscis repetebat; porro gg pro ng, gc pro nc scribi voluit secundum Ionem (Prisc. I 30), tragicum opinor, qui ad exemplum Calliae poetae similia in tragoediis luserat (neque enim alium Ionem novimus, ad quem illa

Ad Varronem priusquam revertar, paucis liceat exponere, quem censeam esse auctorem ab Accio adhibitum. Qua de re cum apud viros doctos constare mihi persuasum sit, etsi nihil adnotari invenio, quam brevissimus ero. Aristophanem Byzantium pleraque fragmenta quasi digito ostendunt. Unde enim acre de choris ab Euripide temerius adhibitis iudicium (fr. 13) sumere poterat nisi ex Aristophane, quem in argumentis examinasse scimus, qua ratione fabulae actioni interessent chori personae (cf. arg. Orest. ὁ δὲ χορὸς συνέστηκεν ἐκ γυναικῶν Ἀργείων ἡλικιωτῶν Ἠλέκτρας, αἱ καὶ παραγίνονται ὑπὲρ τῆς τοῦ Ὀρέστου πυνθανόμεναι συμφορᾶς, arg. Alc. συνέστηκε δὲ ὁ χορὸς ἐκ τινῶν πρεσβυτῶν ἐντοπίων, οἱ καὶ παραγίνονται συμπαθήσοντες ταῖς Ἀλκίτιδος συμφοραῖς, v. Trendelenburgius Gramm. Graec. de art. trag. iud. p. 21 sq.); accedit gravissimum Pollucis testimonium hoc, quod sicut cetera libri IV quae ad scaenicum apparatus enarrandum pertinent e grammaticorum Alexandrinorum copiis fluxit (cf. Rohdus De Iulii Pollucis in apparatus scaenico enarrando fontibus): § 111 τῶν δὲ χορικῶν ἄσμάτων τῶν κωμικῶν ἐν τι καὶ ἡ παράβασις, ὅταν ἂ ὁ ποιητῆς πρὸς τὸ θέατρον βούλεται λέγειν, ὁ χορὸς παρελθὼν λέγη. ἐπιεικῶς δ' αὐτὸ ποιούσιν οἱ κωμωδοποιηταί, τραγικὸν δὲ οὐκ ἔστιν, ἀλλ' Εὐριπίδης αὐτὸ πεποίηκεν ἐν πολλοῖς δράμασιν. ἐν μὲν γε τῇ Δανάῃ τὸν χορὸν τὰς γυναῖκας ὑπὲρ αὐτοῦ τι ποιήσας παράδειν, ἐκλαθόμενος, (desunt quaedam) ὡς ἄνδρας λέγειν ἐποίησε τῷ κήματι τῆς λέξεως τὰς γυναῖκας. καὶ Σοφοκλῆς δὲ αὐτὸ ἐκ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἀμίλλης ποιεῖ σπανιάκις, ὡς περ ἐν Ἰππῶν<sup>1</sup>. Quid personae, cum Aristophanem περὶ προκούπων scripsisse notum sit (cf. Nauckius Aristoph. Byz. fragm. p. 275 sq.), ut Varronis fuit opus 'de personis'? quid, si ipsum Maesium recte Accio dedi, cum de Maesone Aristophanem egisse traditum sit (Athen. XIV 659 A)? quid saltationum genera, quae Aristophanem

probabilius possint referri): et de tragoedia Accius l. II egerat. Sic etiam vocalium geminationem Graecamque Graecorum nominum declinationem (quamquam ipse videtur in versu admisisse *Nestorem* fr. 10B. ut v. 667 R. *Hectorem*, in hac re non magis sibi constans quam Lucilius) cogitari quidem potest in didascalicis tractatas fuisse, modo sumas accurate eum exposuisse, quid harum rerum quo tempore quaque ex gente traxissent Romani. Sed nolo de his ariolari.

<sup>1</sup> Similiter iam Aristoteles art. poet. 18. 1456a 25 τὸν χορὸν δὲ ἓνα δεῖ ὑπολαβεῖν τῶν ὑποκριτῶν καὶ μόριον εἶναι τοῦ ὄλου καὶ συναγωνιζέσθαι μὴ ὡς περ Εὐριπίδῃ ἀλλ' ὡς περ Σοφοκλεῖ.

copiose enarrasse et antiquorum scriptorum testimonia demonstrant et Rohdii disputatione supra commemorata (p. 36 sqq.) edocti sumus? cum praesertim ipsam κύκιννιν satyrorum saltationem etiam Pollux afferat § 99, de cuius vocis origine cum in diversissimas partes discessissent grammatici qui fuere inde ab Aristotele, iure eius nomen nebulosum dixit Accius. Denique manulei baltea machaerae res in comoediis volgatissimae sunt<sup>1</sup>, quas qui tam accurate quam Aristophanes de apparatu scaenico disputabat ne poterat quidem omittere; atque machaeram quidem Pollux commemorat § 117, de re vestiaria autem ubi verba facit §§ 115—120 vestes manuleatas cum omittat, alio loco, ubi eandem rem ascitis comoediae testimoniis uberius persequitur (VII 46 sqq.), χιτῶνας ἑτερομασχάλους καὶ ἀμφιμασχάλους commemorat (§ 47), ex quibus hi servorum illi ingenuorum sunt. Neque hercle indicem fabularum poterat componere, nisi qui Alexandrinorum grammaticorum studiis instructus erat. Horum sane eruditione indigna sunt argumenta illa ineptissima, quibus Accius Hesiodum natu priorem esse Homero evincere studet (fr. 7 apud Gell. III 11, 4): quae utrum apud grammaticum quendam Alexandrinum legerit non tam probata quam impugnata an ex alio sumpserit auctore nescio quo (quamquam maxime talia decent Peripateticum Megaclidis similem) non discerno: non inventa ea esse ab Accio mihi certissimum est<sup>2</sup>. Ceterum Accius ipse quem adhibuerit auctorem, indicat fr. 18 *unde omnia perdisci ac percipi queuntur*, quae verba quam apte ad Aristophanis opera referantur, etiam Suetonii exemplo manifestum est.

Sed tandem aliquando tempus est in viam redeundi; profecti enim sumus a Varronis fragmento quodam Scauri logistorici, quo is baltea ex Etruria Romam inlata esse scripsit. Quod argumentum cum a disputatione de rebus scaenicis instituta alienum videretur esse Cichorio, is Scaurum logistoricum in argumento prorsus diverso versatum esse contendit. Atqui etiam ab Accio ut manuleos et machaeras ita balteos actoribus assignari vidimus: cadit igitur

<sup>1</sup> De manuleis cf. Plaut. Aul. 511 Ps. 738, de machaeris Curc. 424 Mil. 53 Pseud. 1181. 1185 Rud. 315; balteum Plautus non commemorat, sed saepissime clupeum, velut Curc. 424 Mil. 1 Trin. 719.

<sup>2</sup> Nolo diutius immorari in quaestione fastidio plena. Unum addo Varronis causa. Gellius enim l. c. ita scribit: *super aetate Homeri atque Hesiodi non consentitur. alii Homerum quam Hesiodum maiorem natu fuisse scripserunt, in quibus Philochorus et Xenophanes, alii minorem, in quibus L. Accius poeta et Ephorus historiae scriptor. M.*

illius ratio<sup>1</sup>. Qua in refellenda, nisi de Accii didascalice occasione data disputare maluissem, potueram brevior esse: celeberrimae enim Livii de scaenicis originibus narrationis qui meminerit, Tuscorum nomen huic argumento aptissimum esse ultro concedet.

Etiam levioris momenti cetera Cichorii argumenta sunt. Glutinum enim, quod Varro in Scauro dixerat a Daedalo inventum esse, quemadmodum ad scaenam referri possit, ille se ignorare fatetur. Quis autem etiam nostrae scaenae memor potuisse omnino deesse in scaenico apparatu glutinum contendet?<sup>2</sup> atque

---

*autem Varro in primo de imaginibus, uter prior sit natus parum constare dicit, set non esse dubium, quin aliquo tempore eodem vixerint, idque epigrammate ostendi, quod in tripode scriptum est, qui in monte Helicone ab Hesiodo positus traditur.* De postremis verbis cf. Paus. IX 31, 3 ἐν δὲ τῷ Ἑλικῶνι καὶ ἄλλοι τρίποδες κείνται καὶ ἀρχαιότατος, ὃν ἐν Χαλκίδι λαβεῖν τῇ ἐπ' Εὐρίπῳ λέγουσιν Ἡσίοδον νικήσαντα ψῆδῃ. Non multo ante (c. 30, 3) quaestionem impeditissimam de Homeri et Hesiodi aetate omittit se malle dixerat; sequitur autem c. 31 post verba modo exscripta disputatio doctissima de Hesiodi scriptis ac morte. Iam vero cum in hoc libro quae de vetustissimorum poetarum aetatibus profert, ex Alexandro Polyhistore petita esse constet (cf. Maassius Deutsch. Litt.-Zeit. 1887 p. 54), Varro illud de tripode sine dubio ex eodem sumpsit, quem saepe secutus est.

<sup>1</sup> De theatri balteis h. e. praecinctionibus (διαζώμασι) cogitari non posse sponte apparet; accedit, quod haec vocabuli significatio Neroniano aevo non antiquior videtur esse: primum enim invenitur apud Calpurn. 7, 47, cum Vitruvius aut praecinctiones dicat (V 3, 4) aut Graeco utatur vocabulo (V 6, 7).

<sup>2</sup> De Daedalo glutini repertore cf. etiam Plin. n. h. VII 198 (in catalogo εὐρημάτων, quem ad Varronem redire puto, qui ipse in usum vocasse videtur Philostephani librum περὶ εὐρημάτων, sed ut adderet quaedam ex Cn. Gellio, annalium scriptore, petita, cf. §§ 194, 197, 208): *fabricam materiariam (invenit) Daedalus, et in ea serram asciam perpendicularium terebram glutinum ichtyscollam.* Ceterum etiam in hac re erravit Cichorius, quod Scaurum logistoricum περὶ εὐρημάτων fuisse ideo coniecit, quia ad inventum quoddam Daedali respicitur. Qui enim de originibus scaenicis scripsit, ei necessario explorandum erat, quid quisque primus invenisset: quod apud Plinium, ubi Varronem in his rebus tractandis sequitur, factum esse videmus (cf. n. h. XIX 23 XXI 5 cet., v. Cichorium ipsum p. 427sq.). Idem iam Aristophanes Byzantius fecerat, cf. e. g. Pollux § 59 et Rohdus l. c. 25 sqq., quod cum imitaretur Iuba in θεατρικῇ ἱστορίᾳ, factum est, ut Volkmannus (De Suidae biographicis 20, 1) eum inter auctores περὶ εὐρημάτων numerandum esse falso diceret (cf. Rohdus 33, 1) eodem implicitus errore quo Cichorius. Atque Graecorum historiam ludicram a Varrone non

quam accurate singula quaeque Varro in maiore saltem opere quod condidit de scaenicis originibus tractarit, luculentissime apparet ex Charisio p. 80: *Varro de scaenicis originibus hunc calamistrum*: nimirum eo opus erat τῷ κκευσοπιῷ ad cincinnos efficiendos, cui rei quantam curam veteres adhiberint, Pollux saepissime testatur, cf. §§ 134 sqq. 140 sq. 152 sqq.: sic apud Plautum in Curculione Cappadox leno habet calamistrum (v. 577), nam, ut Pollux ait § 153, τὸ τέλειον ἑταιρικὸν βοστρύχου ἐχει περὶ τὰ ὤτα<sup>1</sup>. Denique quid tertio fragmento faciam, quo de palumbibus Varronem locutum esse apparet, ne ipse quidem certo scio, quamquam cum passerem Catullianum columbasque in anaglyphis picturisque passim obvias cogito, fieri potuisse censeo, ut Varro cum de apparatu meretricio ageret, mentionem faceret palumbium; ludicrae enim historiae pars est περὶ τοῦ θεάτρου, pars περὶ τῶν παιδιῶν.

Accii didascalica prae Varronis libris multo doctioribus ab antiquis, ubi de ludicra historia disputabant, iure neglegebantur. Varro ipse Accium non parvi videtur aestimasse: iuvenis Accio seni misit libros de antiquitate litterarum scriptos, atque saturam composuit cui inscripsit Κυνοδιδακκαλικά, in qua ut Accius in didascalicis etiam de rebus metricis disputavit.

### III.

De satūra ἔχω σε, περὶ τύχησ et de logistorico 'Marius de fortuna'.

Saturae supersunt fragmenta haec:

#### I.

169 aérea terta nitet galea (Non. 179).

#### II.

170 téla dextrá vibrant, rússa †tia émicant, | átque <in> insignibus Márti' torquae aúreae, | scúta caeláta Hiberón argentó gravi | crébra fulgént (Non. 227)<sup>2</sup>.

omissam esse et fragmento apud Servium in georg. I 19 et Suetonii imitatione (p. 341, 17R.) demonstratur.

<sup>1</sup> Similiter Varro sat. 375 mulierculam lepidissime describit: *ante auris modo ex subolibus parvuli intorti demittebantur sex cincinni*, cf. Plaut. Truc. 287 *fectos comptos crispas cincinnos tuos*.

<sup>2</sup> Fragmenta et hoc et sequens admodum corrupta sunt. Pro eis quae supra scripsi secutus maxime Buecheleri inventa in codicibus

## III.

171 *teges*, pruina ne iacentem sub <diu>  
dealbet algu candicanti frigore (Non. 72)<sup>1</sup>.

## IV.

172 sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter (Non. 342).

Nolo multus esse in saturae titulis explicandis: philosophorum Graecorum qui περὶ τύχης scripserant nomina vide apud Riesium, quibus addendi sunt Eurysus quidam Pythagoreus (cf. Stob. ecl. I 210, al.) et Dio Chrysostomus (or. LXV). Cum priore inscriptione Oehlerus contulit Metrodori dictum quoddam (fr. 26 Duen. = Epicur. Spruchs. 47, cf. Cic. Tusc. V 26) προκατείλημμαί σε, ὦ Τύχη, atque possum similia multa addere, nihil quod inscriptioni illi accurate respondeat<sup>2</sup>. Itaque hac re ommissa quid fragmentis ipsis doceamur videndum est. Pulchre de Demetrii Phalerei libro περὶ τύχης nuper egit R. de Scala (Die Studien des Polybios I 159 sqq.), ubi quanta fuisset huius libri apud posteros auctoritas locis maxime ex Polybio petitis demonstravit. Demetrius inopinatas fortunae vicissitudines (τὰς μεταβολάς) allatis et singulorum hominum et civitatum exemplis docuerat: nimirum maxima Persarum regna repente collapsa iacuerunt ingressis Macedonibus, quorum ne nomen antea fuit (Demetr. apud Polyb. XXIX 21); Macedonum autem haec bona erunt, quamdiu lubebit Fortunae (ib.). Saepe Polybius aliique auctores fortunae meminerunt, ubi hominum populorumque ad summos potentiae gradus mirabilem in modum evectorum inruentes subito calamitates enarrant, velut

---

haec sunt: *in* deest, *torqueas* vel *torques* vel *torquetis* vel *torqueos*, *Hibero*. De voc. corrupto *russatia* v. infra.

<sup>1</sup> *leges ruina ne iacentem subdealbet* (vel *subdeabbet*) *algudanti frigore* codices: *teges* Scaliger, *pruina* Passeratius et Rothius, *deo* addiderat Scaliger, pro quo *diu* melius Buechelerus, *candicanti* Buechelerus (*dentientem* male Scaliger, quem secuntur Riesius et Muellerus).

<sup>2</sup> Homines qui vulgo sunt ἔχονται ὑπὸ τῆς Τύχης, philosophus ἔχει τὴν Τύχην. Similiter in re diversa Aristippus ἔχω inquit, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι (Laert. II 75) et Seneca ep. 119, 12 *nam quod ad illos pertinet, apud quos falso divitiarum nomen invasit occupata paupertas, sic divitias habent, quomodo habere dicimur febrem cum illa nos habeat. e contrario dicere solemus: febris illum tenet; eodem modo dicendum est: divitiae illum tenent*; atque ἔχειν τὴν τύχην quam vulgaris sit locutio, versus hi docent: τύχην ἔχεις, ἄνθρωπε, μὴ μάτην τρέχε. | εἰ δ' οὐκ ἔχεις, κάθευδε, μὴ κενῶς πόνει (Orion in Ritschellii op. I 572, 103).

Croesi Dionysiorum, Siciliae tyrannorum, Lacedaemonum (cf. de Scala p. 170, v. etiam Galeni protrept. c. 4). Atque Romani, ut viderant felicissimum Sullam, sic neminem, qui fortunam et secundam et adversam magis perpessus erat quam Marius. Audi modo Plutarchum, ubi mortem eius enarrat c. 45, 8 Γάϊος δέ τις Πείρων . . . ἱστορεῖ τὸν Μάριον ἀπὸ δείπνου περιπατοῦντα μετὰ τῶν φίλων ἐν λόγοις γενέσθαι περὶ τῶν καθ' ἑαυτὸν πραγμάτων ἀνωθεν ἀρξάμενον καὶ τὰς ἐπ' ἀμφοτέρα πολλάκις μεταβολὰς ἀφηγησάμενον εἶπειν, ὡς οὐκ ἔστι νοῦν ἔχοντος ἀνδρὸς ἔτι τῇ τύχῃ πιστεύειν ἑαυτόν· ἐκ δὲ τούτου τοὺς παρόντας ἀπακάμενον καὶ κατακλιθέντα συνεχῶς ἡμέρας ἑπτὰ τελευτῆσαι. Deinde interposita alia de eius fine narratione pergit (§ 11): διὸ ἔτη μὲν ἑβδομήκοντα βεβιωκῶς, ὕπατος δὲ πρῶτος ἀνθρώπων ἐπτάκις ἀνηγορευμένος οἶκόν τε καὶ πλοῦτον ἀρκοῦντα βασιλείαις ὁμοῦ πολλαῖς κεκτημένος ὠδύρετο τὴν ἑαυτοῦ τύχην ὡς ἐνδεῆς καὶ ἀτελεῆς ὧν ἐπόθει προαποθνήσκων. Quid vero? His noli credere verbis perorasse Plutarchum: immo sic sibi parat transitum ad sequentia, quibus fuse disserat περὶ τύχης: scilicet Marii de fortuna querellae opponit fortia sapientium dicta: Plato enim et Antipater Tarsensis quanto dignius in vitae exitu de fortuna locuti sunt (c. 46, 1—2): quamquam vulgus hominum non secus ac Marius pravus habet de fortuna opiniones (§§ 3—5). An haec de suo Plutarchus? crederem, nisi nobili Muellenhoffii disputatione (Deutsche Alterthumskunde II 126 sqq.) Plutarchum in rebus a Mario gestis enarrandis primario duce usum esse Posidonio ita demonstratum esset, ut ne dubitatio quidem relinqueretur, Atque Posidonium eo ipso loco, ubi de Marii fine disserit, testem qui ipse eius morti interfuit citat (c. 45, 7). Quid, quod etiam altero loco, ubi certissime Posidonium secutus est (cf. Muell. p. 138), simillimum tangit argumentum, cum scribat c. 23 in (post pugnam apud Aquas Sextias commissam): ἡ δὲ μὴθὲν ἔωσα τῶν μεγάλων εὐτυχημάτων ἄκρατον εἰς ἡδονὴν καὶ καθαρὸν, ἀλλὰ μίξει κακῶν καὶ ἀγαθῶν ποικίλλουσα τὸν ἀνθρώπινον βίον ἢ τύχῃ τις ἢ νέμεσις ἢ πραγμάτων ἀναγκαῖα φύσις οὐ πολλαῖς ὑστερον ἡμέραις ἐπήγαγε τῷ Μαρίῳ τὴν περὶ Κάτλου ἀγγελίαν κτλ.<sup>1</sup> Idem de fort. Rom. 3 ὁρῶ δὲ καὶ Γάϊον Μάριον ὀργιζόμενον τῇ Τύχῃ. cf. ib. c. 11 de mira qua Marius usus erat in debellandis Cimbris Teuto-

<sup>1</sup> Cf. etiam c. 14 in. εὐτύχημα δὲ δοκεῖ τῷ Μαρίῳ μέγα γενέσθαι. 19, 9 τὴν μὲν οὖν παραποτάμιον μάχην οὕτω κατὰ τύχην μᾶλλον ἢ γνώμῃ τοῦ στρατηγοῦ γενέσθαι λέγουσιν.

nibusque fortuna. Porro Diodorus XXXVII 40 de Mario: τυχῶν ὑπα-  
 τείας τὸ ἕβδομον οὐκ ἐτόλμησεν ἔτι τῆς τύχης λαβεῖν πείραν, δεδι-  
 δαγμένος περὶ τῆς κατ' αὐτὴν ἀβεβαιότητος μεγάλοις συμπτώ-  
 μασι. Neque Livius in his rebus enarrandis maxime Posidonium  
 secutus (cf. Muell. p. 125 sqq.) de mira fortunae in Marii vita vicissi-  
 tudine nihil videtur addidisse. Valerius enim Maximus, qui totus  
 ab eo pendet (cf. Muell. p. 122 adn. 3), in eo capite, ubi exempla  
 affert mutationis morum aut fortunae (VI 9), de Mario dicit (§ 14):  
*iam C. Marius maxima fortunae luctatio est, omnes enim eius  
 impetus qua corporis qua animi robore fortissime sustinuit.* Deinde  
 enarrato paene inaudito fortunae qua ille usus erat progressu in  
 fine addit: *quid huius condicione inconstantius aut mutabilius?  
 quem si inter miseros posueris, miserrimus, inter felices felicissi-  
 mus reperietur.* Atque Livii potissimum auctoritate factum vide-  
 tur, quod Marius etiam posteriore aetate inter eos numerabatur,  
 qui prae ceteris ingentem fortunae inconstantiam experti essent:  
 Ovidius enim ex Ponto IV 3, 35sq., ubi exponit omnia esse  
 hominum tenui pendencia filo et subito casu quae valuerint ruere,  
 postquam commemoravit Croesum Dionysium Pompeium, addit  
 Marium (v. 45sq.):

*ille Iugurthino clarus Cimbroque triumpho,  
 quo victrix totiens consule Roma fuit,  
 in caeno Marius iacuit cannaeque palustri,  
 pertulit et tanto multa pudenda viro.  
 ludit in humanis divina potentia rebus,  
 et certam praesens vix habet hora fidem.*

Neque Iuvenalis cum exempla afferret virorum qui ad sum-  
 mum felicitatis fastigium eveci mutatis rebus subito in prae-  
 ceptis deicerentur, oblitus est Marii, de quo haec dicit (10,  
 276 sqq.):

*exilium et carcer Minturnarumque paludes  
 et mendicatus victa Carthagine panis  
 hinc causas habuere. quid illo cive tulisset  
 natura in terris, quid Roma beatius umquam,  
 si circumducto captivorum agmine et omni  
 bellorum pompa animam exhalasset opimam,  
 cum de Teutonico vellet descendere curru?*

Quibus expositis ad Varronem redeo, puto enim nunc magis  
 intellegi, quo consilio ille logistorico inscripserit Marium de for-  
 tuna. Neque si tecum reputabis, quanto cum studio Varro Po-  
 sidonii scripta legerit, ut ne intellegere quidem pleraque Varronis

opera possit, nisi qui Posidonium familiariter norit, fortunae Marianae mentionem ex Posidonii libris eum fecisse negabis. Logistorici huius duo servata sunt fragmenta:

## I.

Schol. Veron. in aen. VII 681 *hic (Caeculus) collecticiis pastoribus Praeneste fundavit. hunc Varro a Depidiis pastoribus educatum ipsique Depidio nomen fuisse et cognomentum Caeculo tradit libro qui inscribitur Marius aut de fortuna.*

## II.

Macrobius sat. III 18, 6 *est autem natio hominum iuxta agrum Praenestinum, qui Carsitani vocantur ἀπὸ τῶν καρύων, cuius rei meminit Varro in logistorico qui inscribitur Marius de fortuna.*

Quanam permotum causa Varronem tam fuse de Praenestinis disseruisse putabimus? neque enim de C. Mario C. f. in obsidione Praenestina misere perempto egit, sed de Mario patre. Sine dubio meminit Fortunae Primigeniae, cuius vetustissimum erat et sanctissimum templum Praeneste, saepe commemoratum a scriptoribus et rerum gestarum et antiquitatum. At cur huius Fortunae mentionem fecit, cum tot essent Romae, etiam ipsa Fortuna Publica Primigenia? Cuius rei probabilis causa nescio an inveniri possit. Apud Vergilium enim aen. VIII 560 sqq. Euandrus rex haec dicit:

*o mihi praeteritos referat si Iuppiter annos,  
qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa  
stravi scutorumque incendi victor acervos  
et regem hac Erulum dextra sub Tartara misi,  
nascenti cui tris animas Feronia mater  
(horrendum dictu) dederat, terna arma movenda:  
ter leto sternendus erat, cui tum tamen omnis  
abstulit haec animas dextra et totidem exiit armis.*

Iam vero fabulam paene gemellam narrat Aelianus var. hist. IX 16 τὴν Ἰταλίαν ὤκησαν πρῶτοι Αὔρονες αὐτόχθονες. πρεσβύτατον δὲ γενέσθαι Μάρην τινὰ καλούμενον, οὗ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπων ὅμοια, τὰ κατόπισθεν δὲ ἵππων . . . μυθολογοῦσι δὲ αὐτὸν καὶ βιώναι ἔτη τρία καὶ εἴκοσι καὶ ἑκατόν, καὶ ὅτι τρεῖς ἀποθανῶν ἀνεβίω τρεῖς. Quas fabulas artissime inter se cohaerere nomenque illud Μάρης ab eadem stirpe prognatum esse qua Martem Maricam talia rectissime statuit Prellerus hist. fab. Rom. II<sup>3</sup> 340; atque posteriorem Varroni ignotam fuisse quis credet? En causam probabilem, cur Varro, cum de Mario ageret, antiquitatum Praenestinarum mentionem

fecerit. Puto enim fere ex initio logistorici duo illa fragmenta sumpta esse (ut saepe fit), quibus Varro, qua erat doctrina, disserendi principium fecit a Marii nominis origine, unde ad fabulam illam Praenestinam ducebatur. Hinc cur Praenestinam vocarit Fortunam perspicuum.

Sic via praemunita unum saturae illius fragmentum quemadmodum sit explicandum melius mihi videor intellegere. Id enim, quod secundo loco supra scripsi

téla dextrá vibrant, rússa † tia émicant, | átque <in> insig-  
nibus Mártil' torquae aúreae, | scúta caeláta Hiberón argentó  
gravi | crébra fulgént

plerique viri docti ad exercitus Romani armaturam describendam pertinere censent — Polybii enim l. VI c. 23, ubi de militum Romanorum armis exponit, quo succurrant *rússatia* vocabulo corrupto, adhibent, — quod perversissimum esse intelleget, qui cum scuta Hiberorum argento caelata tum maxime torques aurei quam aliena sint ab armatura Romana cogitabit. Immo ad Gallos vel Celtiberos haec omnia pertinere vix opus est fusius exponere; vide modo, Nonius ipse quo conexu Varronis fragmentum afferat (p. 227): praecedunt versus Lucilii hi (303 Baehr.):

*conventus pulcher: braciae, saga fulgere, torques  
undantis magni.*

quae ad Gallos pertinere quivis videt; sequitur Ciceronis locus de off. III 112 de T. Manlio, qui Galli torque detracto cognomen invenit; tum Varronis affertur fragmentum illud; id excipitur Claudii Quadrigarii loco de Manlii Torquati pugna; denique citantur Varronis verba de vita p. R. l. II haec: *auri pondo duo milia acceperunt* (sc. Galli) *ex aedibus sacris et matronarum ornamentis; a quibus postea id aurum et torques aureae multae relatae Romam atque consecratae.* Atque etiam posteriore aetate torques inter Gallorum ornamenta militaria commemorantur, velut a Quintiliano inst. VI 3, 79 et Claudiano laud. Stil. II 241. Neque id fugit Buechelerum, cum ex vocabulo corrupto *rússatia* eliceret *rússa sagula*; sagum enim vel sagulum notissima Gallorum Germanorumque vestis militaris. Quamquam id vocabulum quam vere hoc quidem loco inventum sit, dubito, quia paullo longius a literis traditis abesse videtur. Fortasse scribere praestat *rússa lina* collatis his Polybii verbis III 114, 4 καὶ τῶν μὲν Κελτῶν ἑσθῆων τῶν δ' Ἰβήρων λινοῖς περιπορφύροις χιτωνίκοις κεκομημένων κατὰ τὰ πάτρια κτλ. Id vero sive recte coniectum est sive minus, hoc puto sponte intellegitur describi Teutonum

Gallorumque qui eis auxilio venerant armaturam: eos Marius ex Hispania reversos pugna vicit eorumque eximia quaedam arma cum triumphum ageret Romanis — sine dubio propter novitatem rei — ostendit (Plut. c. 22, 1). Neque enim ex Romanorum rebus gestis quicquam commemorari posse confido, quo haec melius referantur, ut mea quidem sententia fragmentum illud ita ut dixi intellegendum esset, etiam si ea quae supra de Varronis logistorico et de Marii in hac re exemplo sollempni disserui plane omitteremus. Itaque Varro eandem rem et in saturis et in logistoricis tractarat, sicut et in Manio satura et in Curione logistorico fabelam illam de Numae libris e terra erutis narraverat.

De reliquis fragmentis non multa habeo quae addam. Fr. I *aërea terta nitet galea* ad arma describenda pertinere apparet, atque quamquam metrum diversum est, tamen his quoque verbis Gallorum armaturam describi puto, cf. Diodorus V 30 (ex Posidonio) de Gallis: κράνη δὲ χαλκᾷ περιτίθενται, μεγάλας ἔξοχὰς ἔξ ἑαυτῶν ἔχοντα καὶ παμμεγέθη φαντασίαν ἐπιφέροντα τοῖς χρωμένοις· τοῖς μὲν γὰρ πρόκειται κυμφυῆ κέρατα, τοῖς δὲ ὀρνέων ἢ τετραπόδων ζῴων ἐκτετυπωμένα προτομαί. c. 33 de Celtiberis: περὶ τὰς κεφαλὰς κράνη χαλκᾷ περιτίθενται φοινικοῖς ἠσκημένα λόφοις. Atque de Mario in satura agi cum certum sit, fortasse etiam tertium fragmentum *tegés, pruina ne iacentem subdiu | dealbet algu candicanti frigore* cum eodem argumento coniungere poterimus. Recte enim ad Marium referri quae illic de homine quodam sub Iove pernoctante dicuntur concedes comparatis his Plutarchi verbis de Mario cum paucis comitibus ex urbe pulso (c. 36, 5) ἐν παντὶ δὴ γεγωνὸς ἀπορίας, μάλιστα δὲ νηστεία τῶν περὶ αὐτὸν ἀπαγορευόντων, τότε μὲν ἐκτραπόμενος τῆς ὁδοῦ καὶ καταβαλὼν ἑαυτὸν εἰς ὕλην βαθεῖαν ἐπιπόνως διενυκτέρευσε, vel hisce (c. 37, 8) τοῦ δὲ Μαρίου δεηθέντος οὕτω ποιεῖν, ἀγαγὼν αὐτὸν εἰς τὸ ἔλος καὶ πτῆξαι κελεύσας ἐν χωρίῳ κοίλῃ παρὰ τὸν ποταμὸν ἐπέβαλε τῶν τε καλάμων πολλοὺς καὶ τῆς ἄλλης ἐπιφέρων ὕλης ὄση κούφη καὶ περιπεσεῖν ἀβλαβῶς δυναμένη. Atque memineris velim etiam versibus illis Ovidi et Iuvenalis Marium ex victoria Cimbrica triumphantem opponi Mario exsuli turpemque vitam aegre sustinenti.

Denique cum fr. IV *sapiens et bonum ferre potest modice et malum fortiter aut leviter*, quod propius accedit ad philosophiam, apte conferri potest Sen. de tranquill. an. 10, 1 *necessitas fortiter ferre docet, consuetudo facile*: quod moneo ne quis Popmae coniecturam (*leniter pro leviter*) probet.

## IV.

## De genere quodam dicendi Varroniano.

Interponere libet quaestiunculam ad genus quoddam dicendi Varronianum<sup>1</sup> pertinentem. In saturarum enim fragmento 399 iam supra c. II allato: *in quibus partibus in argumentis Caccilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus* Mercierus et Muellerus post v. *partibus* interrogationis signo posito totum enuntiatum bipertitum reddunt et in dialogi formam redigunt; contra uno tenore totum scribunt Riesius et Buechelerus. Nimirum illi in constructione offenderunt, cum *partibus* vocabulo subiungenda potius esse putarent argumenta ethe sermonem: quod cum facerent, dicendi genus Varronis proprium neglexerunt atque ratione illa instituta oblitterarunt. Quod paucis illustrare in animo est exemplis quibusdam ex antiquis scriptoribus petitis. In quibus quae cernitur ratio universa haec est: praepositur substantivum generale, cui cum species debeant subiungi potius adiunguntur<sup>2</sup>. Sic Cato fr. p. 18, 24 Iord. *mittit adversum illos imperator Karthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu viros habuit strenuissimos*: pro quibus, si polite loqui voluisset, debuerat per genetivum casum sic: *peditatus equitatusque quos . . . viros habuit strenuissimos*. idem de agri cult. 122 *id mane ieiunus sumito cyatum*. Cass. Hem. fr. 23 Pet. *in area in Capitolio signa quae erant demoliantur* Piso fr. 27 Pet. *hi contemnent es eum assurgere ei nemo voluit*. Varro r. r. I 18, 1 Catonis (de agr. 10, 1) verba referens *olivatum agri iugera CCXL* dicit, sed ipse I 19, 1 (cf. 22, 3)

<sup>1</sup> De eo non disputavit R. Krumbiegelius libello sat utili De Varroniano scribendi genere quaestiones (Lipsiae 1892).

<sup>2</sup> Nihil agit Holtzius synt. prisc. I p. 8sq., ubi quae affert duodecim exempla appositionis quam vocat syntacticae, eorum undecim ne pertinent quidem ad hoc genus, unum quod recte videri possit afferri ego omittere malui: Cat. de agri cult. 8, 2 *sub urbe hortum omne genus, coronamenta omne genus . . . haec facito uti seras*. Talia enim volgaria sunt (cf. Lachmannus ad Lucr. V 440) atque rectius *omne genus*, ut *id genus*, accusativi adverbiorum fere loco positi habentur. Neque Draegerus Hist. Synt. I<sup>2</sup> 2 sq. ex antiquis scriptoribus quicquam affert nisi alienum id Catonis exemplum; neque quae ex posterioribus commemorat auctoribus exempla pertinent nisi ad vocabula *pars genus numerus quisque alius alter aliquot nonnulli*: talia etiam apud scriptores Graecos volgatissima, at durius Plato reip. II 381 A *τά γε εὐθεται πάντα κειῆ τε καὶ οἰκοδομήματα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον, τὰ εὖ εἰργασμένα καὶ εὖ ἔχοντα ὑπὸ χρόνου τε καὶ τῶν ἄλλων παθημάτων ἤκιστα ἀλλοιοῦται*.

*in oliveti CCXL iugeris et § 3 vinea iugerum C.* Tamen, ut dixi, ne apud eum quidem exempla desunt vetustioris rudiorisque usus. Cf. r. r. I 4, 2 *nec non ea quae faciunt cultura honestiorem agrum, pleraque non solum fructuosiore eadem faciunt . . . sed etiam vendibiliorem.* I 52, 1 *quae seges grandissima atque optima fuerit, seorsum in aream secerni oportet spicas, ubi male Ursinus: quae e segete grandissimae atque optimae fuerint spicae, seorsum . . . secerni oportet.* I 55, 1 *quae manu stricta, melior ea quae digitis nudis quam illa quae cum digitabulis.* II 1, 5 *in Hispania citeriore regionibus aliquot, ubi in quibusdam libris in Hispaniae citeriore (sic) regionibus aliquot* II 4, 9 *nuptiarum initio antiqui reges ac sublimes viri in Etruria in coniunctione nuptiali nova nupta et novus maritus primum porcum immolant.* II 5, 9 *boni generis in Italia plerique gallici, transmarini epirotici non solum meliores quam totius Graeciae sed etiam quam Italiae (debebat transmarinorum)* II 5, 18 *quae exscripta de Magonis libris armentarium meum crebro ut aliquid legat curo: qui locus multis coniecturis temptatus est, quas vide collectas apud Keilium; neque recte puto statuere ipsum Keilium aliquid adverbii loco positum esse.* II 11, 6 *qui aspargi solent sales, melior fossilis quam marinus* III 3, 8 *neque enim erat magnum id saeptum, quod nunc ut habeant multos apros ac capreas complura iugera maceris concludunt.* Ad haec Keilius: *'quod nunc ut habeat scripsi: ut saeptum multos apros ac capreas habeat, complura iugera maceris concludunt. nam inepte pronomen accusativo casu ad verbum concludunt refertur'*. Mihi nihil mutandum videtur: *complura iugera* verba quasi appositionis loco adduntur illi *quod*. De l. l. VI 27 *in Capitolio in curia Calabria*, pro quo melius dixisset: *in curia Calabria quae est in Capitolio*, quamquam saepius ita loquitur (cf. r. r. II 7, 7 *duodecimo mense die decimo*, de l. l. VII 26 *in multis verbis in quo antiqui dicebant s, postea dicunt r*). VI 38 *quingies centum milia discrimina*, ubi fuit qui mutaret *discriminum*, sed recte Muellerus adnotavit: *'mutare non consuluerim'*, sic enim etiam r. r. III 2, 17 *quadraginta milibus sestertiis* et III 17, 3 *duodena milia sestertia*, quamquam idem versa vice antiquam consuetudinem ne a Cicerone quidem prorsus alienam secutus saepius *mille* singulariter positum cum genetivo casu coniungit, quo de usu Gellius I 16 disputavit; locos vide compositos a Krumbiegelio l. c. p. 19, adde Kuehneri gr. lat. II § 9 adn. 1. Idem de l. l. VII 109 *in illis (libris) qui ante sunt, in primo volumine est quae dicantur cur etymologicè neque ars sit neque ea utilis sit, in*

*secundo . . . . in tertio . . .* Idem rer. hum. XI apud Macro-  
 sat. II 12 *ad victum optima fert ager Campanus frumentum,  
 Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Ta-  
 rentinus, piscem Tiberis.* Cum hoc dicendi genere artissime  
 coniunctum est alterum, ubi, cum enuntiati constructio paul-  
 lum deflexa sit, pronomen demonstrativum ascitur, quo oratio in rec-  
 tam viam redeat: sic Cato fr. 19, 15 durissime: *Leonides Laco  
 qui simile apud Termopolas fecit, propter eius virtutes omnis  
 Graecia gloriam . . . decoravere monumentis*; idem p. 47, 17 *servi  
 ancillae, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi,  
 nullum mihi vitium facit.* Atque ita saepe Varro, cf. de l. l. VII  
 37 *Plato in quarto de fluminibus apud inferos quae sint, in his  
 unum Tartarum appellat, IX 78 ut signa quae non habent caput,  
 nihilo minus in reliquis membris eorum esse possunt analogiae,  
 IX 51 dicunt, quod vocabula litterarum latinarum non declinantur  
 in casus, non esse analogias; hi ea quae natura declinari non  
 possunt, eorum declinatus requirunt, X 45 analogia quae dicitur,  
 eius genera sunt duo.* Sic etiam Terentius Hec. prol. 14 *in eis  
 quas primum Caecili didici novas, | partim sum earum exactus,  
 partim vix steti,* atque ni fallor saepius talia in sermone vulgari  
 me invenire memini, quamquam exempla mihi nunc non praesto  
 sunt. Ceterum Cato haec ut plurima (quae nusquam collecta  
 inveniri maxime dolendum est) ex eo genere dicendi ascivit, quod in  
 legibus erat sollemne, cf. e. g. lex Acilia § 7 *quovius eorum ita nomen  
 ex h(ac) l(ege) post K. Sept. quae eo anno fuerint, delatum erit,  
 quei eorum eo iudicio condemnatus erit, quanti eius rei stis  
 ae[stumata erit, tantam pecuniam . . solvito].* lex Cornelia de XX  
 quaest. § 30 *viatores praecones quei eorum ex hac lege lectei sub-  
 lecteique erunt, eis viatoribus praeconibus magistratus prove mag.  
 mercedis item tantundem dato.* Sed redeo ad genus illud prius,  
 cuius pauca exempla aevo Varroniano inferiora mihi enotavi. Ipse  
 Cicero de div. I 34, 75 *in Lysandri qui Lacedaemoniorum cla-  
 rissimus fuerat statua, quae Delphis stabat, in capite corona subito  
 exstitit,* ubi cur Cicero paullo impolitius locutus sit maxime in-  
 telleges collatis eiusdem de eadem re verbis II 32, 68 *at in  
 Lysandri statuae capite Delphis exstitit corona.* Idem loco con-  
 clamato de div. II 54, 112 *atque in Sibyllinis ex primo versu  
 cuiusque sententiae primis litteris illius sententiae carmen omne  
 praetexitur* h. e. ex primi cuiusque sententiae versus primis litteris  
 (cf. Dilesius Sibyll. Bl. 26): quae Cicero evitavit, ne sententiam  
 iam sic satis perplexam contortamque etiam impeditiorem redde-

ret; quo accedit, quod boni auctores genetivorum a se invicem pendentium multitudinem vitant potius quam frequentant. Sed illud dicendi genus quam sit aptum linguae vulgari, et nos cotidie audimus et novit ex antiquis scriptoribus qui admirabilem in modum ne has quidem res ab urbanis procul abiectas spernendas duxit Petronius, cum in cena (c. 56) Trimalchionem dicentem faceret: *mutae bestiae laboriosissimae boves et oves*. Ceterum etiam in inscriptionibus similia occurrunt, velut CIL. VI 167 [F]orte For[tunai] *donum dant collegium lanii Piscinenses*. Quamquam cavendum est, ne prave huic generi assignentur exempla aliter interpretanda, velut Iuv. 7, 117 sqq. (ubi causidicos illudit):

*rumpe miser tensum iecur, ut tibi lasso*

*figantur virides scalarum gloria palmae.*

*quod vocis pretium? siccus petasunculus et vas*

*pelamydum aut veteres Afrorum epimonia bulbi*

*aut vinum Tiberi devectum, quinque lagonae:*

ibi enim quanto cum pondere quinque lagonae addantur, quibus vilissimum pretium indicetur, quivis sentit.

In quibusdam consuetudo utramque rationem obtinuit: paulo rarius est id quod apud poetas saepe legitur, Varro etiam in prosa oratione admittit *olivae arbor* (de gente p. R. fr. 11 Pet.), plane ut nos 'der Olivenbaum'. Porro Livius XXIV 21, 8 scribit: *multitudo pars procurrit in vias, pars in vestibulis stat, pars ex tectis prospectant*, atque ita passim<sup>1</sup>: quamquam dubitatur de simillimo loco Plautino. In Captivorum enim cantico, cuius in metro constituendo in diversas partes viri docti discesserunt, libri haec verba exhibent: *nam fere maxima pars morem hunc homines habent*, quod latinum esse negant Ussingius et Schoellius, unde ille v. *homines* hic v. *maxima pars* deleverunt: quod iure eos fecisse negabis, si ea quae supra de hoc dicendi genere disputavi tecum reputaris.

Vides igitur in antiqua lingua huius usus inveniri exempla et pauca et certorum auctorum propria, neque enim apud liberae saltem reipublicae scriptores talia inveni qualia apud Catonem et Varronem; neque id mirabitur, qui in syntaxi prisco more constituta Catonem et Varronem ceteris scriptoribus multo praestare meminerit: Varro enim quem Asianum scribendi genus ada-

<sup>1</sup> Videtur hic usus proprius esse Livii: ex eo enim solo permulta exempla affert Draegerus Hist. Synt. I<sup>2</sup> p. 3, ex aliis scriptoribus ne unum quidem plane gemellum.

masse et Cicero tradit et nos haud paucis locis cognoscimus — mire enim nonnunquam luxuriatur verborum lusibus orationisque figuris<sup>1</sup>, — idem et verbis saepe utitur priscis<sup>2</sup> et orationis constructione antiquis legibus digniore quam aevo quod vidit Ciceronem, velut coniunctiones pronominaque relativa cum verbo solet quam artissime coniungere<sup>3</sup> et cumulat negationes: nimirum vetera ei cordi erant priscorumque temporum memoriam ac *virorum magnorum antiquorum* (x. r. II in.) dicta factaque animo recolebat, nova nec probare omnino nec spernere poterat. Itaque posterius scripta eius legebantur propter solam doctrinam, respuebant hispidam elocutionem: verissimum enim est Augustini iudicium, quo quod omnes aequae sentirent enuntiasse censendus est (de civ. dei VI 2): *M. Varro . . . tametsi minus est suavis eloquio, doctrina tamen atque sententiis ita refertus est ut in omni eruditione . . . studiosum rerum tantum iste doceat quantum studiosum verborum Cicero delectat. denique et ipse Tullius hinc tale testimonium perhibet, ut in libris academicis dicat eam quae ibi versatur disputationem se habuisse cum M. Varrone, 'homine' inquit 'omnium facile acutissimo et sine ulla dubitatione doctissimo'. non ait 'eloquentissimo' vel 'facundissimo', quoniam re vera in hac facultate multum impar est.*

Gryphiae.

E. Norden.

<sup>1</sup> Cf. e. g. de l. l. V 5 *quem puerum vidisti formosum, hunc vides deformem in senecta* (in quibus animadvertit τῶν κῶλων parem numerum syllabarum) VI 96 *sed quoniam in hoc de paucis rebus verba feci plura, de pluribus rebus verba faciam pauca*. Talia passim obvia in Varronis operibus: quae non omittenda erant ei qui de Varroniano scribendi genere disputaret.

<sup>2</sup> Cf. quae ipse dicit de l. l. V 9 *non videbatur consentaneum quae-rere me in eo verbo quod finxisset Ennius causam, negligere quod ante rex Latinus finxisset, cum poeticis multis verbis magis delecter quam utar, antiquis magis utar quam delecter*. Quod postremum dicit, ei non magnam habere fidem: pulchrae figurae gratia addidisse videtur vir antiquitatis amantissimus κῶλον οὐδὲν ἡμαίνον.

<sup>3</sup> Id etiam in Livio aliquoties inveniri Vahleni disputatione (ind. lect. Berol. aest. 1890 p. 12 sqq.) doctus sum: puto illum ex antiquorum auctorum lectione id ascivisse.